



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XXIV. De Voto jejunandi singulis diebûs Sabbathi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155



Casus XXIV.

De Voto jejunandi singulis diebus Sabbati.

Titius pridie Nativitatis Domini Nostri JESU Christi, quæ tunc in diem Sabbati inciderat ex suo Confessario

Quærit, num sibi, ex voto aliàs ad jejunandum singulis diebus Sabbati obstricto, liceat ob solemnitatem Festi absque dispensatione comedere carnes?

Synopsis.

1. Ex quibus fundamentis votum dubium sit explicandum?
 2. Ejusmodi vovens probabilius ad jejunium obligatus est.
 3. Nec excusatur ex eo, quod vovendi de hoc die nihil incidit, aliàs certò illum excepturus.
 4. Quænam rerum mutatio circa rem promissam voventem deobliget?
 5. Quandonam detur in legibus
6. Talis promittens hunc diem tantum excepturus fuisset, si iste eidem incidisset.
 7. Obligatio voti non est restringenda contra proprium & communem verborum sensum.
 8. Qualiter explicanda sit regula Juris: *in generali concessione non veniunt ea, quæ quis verosimiliter non esset in specie concessurus.*
 9. Si verba voti non sint satis clara, juxta praxin Ecclesiæ sunt explicanda.
 10. Non solos expressè ad talis diei jejunium obligatos à sua hac dispensatione excludit Pontifex.
 11. Dubium in votis vel circa diem voto præfixum, vel circa ipsam rem potest occurrere.
 12. Obstrictus ad jejunandum pri-

pridie cujusdam festi, cur possit jejunare præcedente die Sabbati, si pridianus dies incidat in Dominicam.

13. Vovens 20. Julii quolibet anno jejunium, si hoc in diem Dominicam incidit, probabiliter tenetur tunc jejunare.

14. Circumstantiis ad essentiam rei pro missæ spectantibus, & notabiliter mutatis cessat obligatio.

Resolvitur Quæsitum.

UT præsens casus solvatur pro fundamento supponendū, quodlibet votum eo ipso, quod sit lex aliqua, quam vovens tanquam Legislator privatus sibi ponit, dependere ab intentione voventis, tanquam sui Legislatoris ad modum aliarum legum. Ità habetur in Deuteronomio 23. *Facies, sicut promissisti Domino Deo tuo. & propria voluntate & ore tuo locutus es.* Quia autem subinde voventis intentio ne utique sufficienter nobis perspecta est, hinc in tali dubio votum emissum asserunt Authores exponendum esse juxta ipsius rei naturam atque essentiam, in

quantum promittens voluit ad omne & solum illud obligari, quod natura rei promissæ ex se exposcit, & postulat eique accommodata est. Ità Suarez lib. 4. de voto c. 7. n. 2. & 6. Layman. l. 4. de voto c. 3. n. 3. Palao de voto disp. 1. p. 12. n. 2. Quòd si denique etià de hoc simus dubii, sensus ac significatio verborum, quibus promissio fuit facta, & quidem secundum communem usum loquendi attendenda est; cum semper præsumantur prolata oretenus verba voventis menti conformari, atque illud voluisse voventem promittere in animo, quod ipsa verba prolata significant. Ità habetur in lege: *Habeo. ff. de suppellect. ibi: Nemo dicere præsumitur, quod non sentit.* Ità Cajetan. 2. 2. q. 88. art. 2. dub. 4. Suarez cit. cap. 7. n. 16. concl. 3. Sanchez lib. 4. de voto. cap. 11. n. 19. Laym. loc. cit. Palao loco allegato. n. 3. Quòd si autem his omnibus expensis voti obligatio adhuc est dubia, erit hoc benignè interpretandum, ut, quoad fieri potest, minus obliget. Ità habetur ex cap. ex parte de censibus. docent etiam cum aliis Azor. p. 1. l. 11. c. 20. q. 2. Suarez

l. 4. de voto. c. 7. num. 18. Sanchez. *lib. 4. de voto. c. 11. n. 3.* Laym. *l. 4. tract. 4. c. 3. n. 3.* rationem dant, quod obligatio non sit imponenda, nisi clarè constet, ob periculum transgressionis. His suppositis

² Dico : Licet absolute probabilis, & tuto practicable sit opinio asserens talem voventem in die Nativitatis absolute fore excusatum à jejunio, probabilius tamen esse, eundem fore obligatum. Ita sentiunt Sanchez *lib. 4. de voto. c. 11. n. 60.* Suarez *lib. 4. c. 2. n. 8.* Vasquez inclinatur ad hoc *1. 2. disp. 30. c. 4. n. 26.* Reginaldus *l. 18. n. 290.* Bonacina *tom. 2. disp. 4. quest. 2. pu. 6. n. 9.* Palao *de essentia voti. disp. 1. pu. 12. n. 12.* Pyrrhing contra Molinam *disp. 272. in suo tom. 2.* Azor. *p. 1. l. 11. cap. 2. quest. 3.* Jacobus Wiestner *Inst. Can. l. 5. tit. 41. in regulam Juris in 6. octogesimum primum n. 2.* & ab hoc citatum Joannem Andre *in cap. fin. de observat. jejunii n. 4.* Fagundez *de præcep. Eccl. 4 l. 1. c. 6. n. 6.* Rodriguez *in summa tom. 3. cap. 25.* Diana *tract. 8. resol. 6. part. 9.*

Probatur conclusio: Si Titius foret exemptus, tunc vel ratione indulti Pontificis concedentis e-

sum carniem etiam die Sabbati, si in hunc inciderit festum Nativitatis, vel ex eo, quod Titius vovens hunc diem in suo voto non comprehenderit, sed ex nullo horum excusatur: ergo &c. non ex primo, *cap. enim finali de observantia jejunii*, hæc habentur: *qui nec voto, nec regulari observantia sunt obstricti.* Hi scilicet erunt exempti à carni-um abstinentia: ergo cum Titius fuerit obstrictus voto, vi hujus Bullæ non erit exemptus; sed neque ex altero erit deobligatus: uti enim superius diximus: intentio atque animus voventis, si aliunde non constet, est desumenda ex sensu communi atque ordinario verborum, quibus factum est votum; sed hac ratione dies ille comprehenditur in voto. Prob. min. verba fuerunt universalialia: volo singulis diebus Sabbati jejunare; sed verba universalialia comprehendunt etiam illum diem Sabbati: ergo hoc votum comprehendit etiam illum diem Sabbati.

³ Respondent oppositæ sententiæ patroni: licet verba, prout jacent, fuerint universalialia, voventi tamen tempore concepti voti

voti nihil inciderat de istis circumstantiis : fuit etiam hic ita constitutus , ut , si hæ ipsi incidissent sine omni dubio excepturus fuisset : ergo non comprehendit illum diem.

Sed contra est : obligatio vel deobligatio non desumitur ex eo , quòd vovens faceret , si hoc vel illud ipsi incideret ; sed ex eo , quòd de facto fecit , & promisit : ergo , cum de facto promittendo jejunium singulis diebus Sabbatinis , etiamsi hunc diem excepisset , si ipsi incidisset , absolute promiserit singulis diebus Sabbati jejunare , erit ad hoc obligatus.

Contra est 2. Si hoc non obstante , quòd Titius absolute voluerit jejunare singulis diebus Sabbati juxta communem sensum verborum , censendus tamen esset voluisse hunc diem excipere , tunc hoc solum ideo fieret , quia licet omnino nullam cogitationem actu habuerit de illo , habitualiter tamen ita erat constitutus , ut , si fuisset de eo interrogatus actu consensisset : atqui hæc ratio manifestè nimium probat : ostenditur minor. ponamus casum , quòd Titius venatum exiens post dumetum vi-

deat aliquid se movens , ac judicet illud esse feram trajiciat itaque illud globo : interea tamen , ob injurias sibi à fratre illatas ita habitualiter sit constitutus , ut si eidem incideret , illud post dumetum se movens esse suum fratrem , nihilominus in illum suum scopetum exoneraret : in hoc casu juxta principia adversariorum esset verum dicere , quòd Titius voluerit suum fratrem occidere : hoc autem est manifestè falsum : ergo &c. Prob. sequela : quia Titius in casu concepti voti ita fuit constitutus , ut si interrogaretur , an vellet exemptum diem Sabbati , in quem incidit festum Nativitatis respondisset , se velle hunc eximere , infertur ab adversariis , quòd actu eundem exceperit , licet cateroquin neque à longe aliquid de hoc cogitaverit : ergo si etiam in casu venationis fuit ita habitualiter constitutus , ut , si eidem incideret , vel dictum esset , post dumetum latere suum fratrem , ille nihilominus illum occideret , inferri potest , quòd actu voluerit eundem occidere , licet etiam actu neque à longè aliquid de hoc cogitaverit.

Contra est 3. Ex eo, quòd Titius hunc diem excepisset, si habuisset actualem scientiam hujus circumstantiæ, solummodo deducitur, quòd posita certa conditione (si nimirum tunc recordatus fuisset festi Nativitatis in tale Sabbatum incidentis) excepturus fuisset hunc diem, non autem inferitur, quòd absolutè exceperit: ut enim exceptio conditionata transeat in absolutam, necessariò implenda est conditio, atqui hæc non fuit impleta: ergo. Prob. min. Conditio, sub qua excepisset, est actualis recordatio hujus circumstantiæ; sed hæc non dabatur: ergo &c.

Contra est 4. Substantia & essentia rei, circa quam versabatur votum jejunandi, erat ipsa dies Sabbati singulis hebdomadibus recurrens. Quòd autem festum Nativitatis hoc anno incidat in diem Sabbati, est huic diei, & ipsi rei promissæ duntaxat aliquid accidentale: ergo error commissus in edendo voto ex eo, quòd non recordatus fuit hujus circumstantiæ, est tantum circa aliquid accidentale, non autem circa substantiam; atqui error versans duntaxat circa ac-

cidentalibus, non tollit obligationem: ergo Titius ex hoc non erit deobligatus.

Contra est 5. Si omnis ille censendus est non consensisse in aliquam obligationem, qui ita fuit habitualiter constitutus, ut neutiquam consentiret, si ipsi aliquid aliud, quod modo ipsum latet, incidisset, quamplurimi contractus cum aliis initi forent invalidi: ferme enim semper aliqua latent, quorum actualis scientia absterruisset à consummatione ejusmodi contractus: ergo neque Titius censendus est non consensisse in hanc obligationem jejunii pro hoc die, quia non consensisset, si hæc circumstantia eidem tunc incidisset.

Confirmatur ulterius sententia nostra ex cap. unico in fine. causa 32. ubi Pontifex ait: *que rectissime voverunt, cum homines voverint, nulla conditione rumpenda sunt, que sine ulla conditione voverunt.* Subsumo: atqui jejunium singulis diebus Sabbatinis instituendum rectissime sine ulla conditione promissum fuit: ergo etiam illud votum nulla conditione cadentis scilicet Natalis

in

in talem diem rumpendum est ; quia scilicet, qui in voto nihil exceperunt, generaliter tenentur arg. cap. quia circa 22. de privileg. & lege §. 1. Servitus, 23. ff. de servit. prædo : urban.

Denique nostra assertio probatur optimè argumento negativo in hunc modum : quòd Titius ediderit votum singulis diebus Sabbati jejunandi, certum est : utrùm autem hunc diem exceperit, est dubium : ergo tenetur jejunare. Prob. conseq. Si votum hoc est certum, tunc est, & manet tamdiu in possessione, quamdiu à Titio non fuerit probatum, quòd hunc diem exceperit : quia melior est conditio possidentis : ergo cum Titius non possit sufficienter probare, quòd exceptionem fecerit, hinc ille est obligatus.

Hactenus fundamenta nostræ sententiæ attulimus. Restant modò solvendæ adversariorum rationes.

Objic. itaque 1. Ea rerum mutatio deobligat promittentem ab obligatione voti, quæ, si ei occurreret, quando promittit, eam exciperet, & interroganti responderet, mentem su-

am non esse in tali eventu se obligare : atqui hinc facta est talis notabilis mutatio : ergo &c. major probatur, tantum obligat votum, vel quæcunque alia libera promissio, quanta est intentio voventis ; sed in tali eventu promittens non intendit se obligare ad hunc diem : ergo nec erit obligatus. Resp. dist. major. Si ista rerum mutatio se teneat ex parte substantiæ rei promissæ conc. si tantum versetur circa meras qualitates accidentales rei promissæ, negatur major. & sic distincta minore, consequentia. Si voventi singulis diebus Mercurii jejunare incidisset, posse contingere, ut certo aliquo die Mercurii instituatur lautum & opiparum convivium, ad quod etiam ipse sit invitandus, potuisset etiam hanc circumstantiam excepisse ; vix tamen aliquis concesserit, talem in hoc casu à suo voto deobligatum esse. Dein ipse Molina, qui hoc argumento contra nos utitur concedit longè diversâ esse promittentem non penetrâsse, quod promissit, ita, ut si aliqua in re promissa contenta penetrâisset, à tali promissione destitisset : & rerum

rerum statum ita mutatum esse, ut, si hunc prævidisset, dum vovit, nollet in eo eventu promittere, ac se obligare: in priore casu judicat Molina manere obligationem, ea enim, quæ non satis penetravit, in promissione continentur, ac rei promissæ annexa sunt: ergo omnia illa fuerunt promissa: ergo cum dies iste Sabbati etiam cum istis circumstantiis contineatur in re promissa, licet tunc non penetraverit, fuit ille tamen absolute promissus: ergo non tam dicendum est factam hic fuisse notabilem mutationem rerum, quàm tenendum, aliquid in ipsa re promissa contentum hic & nunc apparuisse, quòd antea, cum voveret, expressè ac clarè non videret, quem defectum nulli alii, nisi sibi ipsi vovens debet adscribere.

5 Objic. 2. In Legibus est locus Epikeiæ: sed vota sunt aliqua leges: ergo in illis datur aliqua Epikeia: ergo possunt hic benignius explicari. Resp. dist. major. in legibus est locus Epikeiæ, si verba & verborum sensus sint dubia conc. si ista sint cla-

ra: neg. maj. & sic distincta min. neg. conseq.

Urgent in legibus, datur locus Epikeiæ, licet verba sint clara: ergo nulla Responsio. Probat Antec. est clara lex prohibens laborem servilem die festo, & tamen in certis casibus datur locus Epikeiæ, in quantum judicatur tales eventus exceptos fuisse, de quibus dubitandum non est, quòd Legislatores excepisset, si illi occurrerent: ergo etiam in verbis clatis datur locus Epikeiæ, licet de illis Legislatores, dum tulit legem, nihil cogitaverit. Resp. conc. antec. neg. conseq. in hujus probatione conc. antec. dist. conseq. ergo est locus Epikeiæ in illis circumstantiis, de quibus ex generali quodam fundamento scitur, quòd Legislatores excepissent, conc. de quibus tale fundamentum non habetur. neg. conseq. Fundamentum est, quòd Ecclesia tanquam pia Mater nolit nimium gravare suos subditos.

6 Objic. 3. Ipse promittens est optimus interpret suæ mentis; sed iste dicit, noluisse se includere hunc diem: ergo &c. Resp. neg.

neg. min. promittens enim duntaxat testatur hunc diem à se fuisse excipiendum, si hujus circumstantiæ meminisset. Aliud autem est, aliquid absolutè excipere, & aliud excipere aliquid conditionatè, si conditio non sit impleta.

7 Objic. 4. Azor. Obligatio votorum est potiùs restringenda, quàm dilatanda: ergo potiùs dicendum, talem non esse obligatum. Resp. dist. antec. est potiùs restringenda, ita ut contra proprium etiam atque communem verborum, quibus votum fuit conceptum sensum, atque significationem, debeant restringi, negatur antec. sunt potiùs restringenda salvo verborum sensu ac significatione conc. antec. & neg. conseq. sensus communis & ordinaria significatio verborum voti manifestè includit hunc diem.

Deinde utrùm hunc diem includerit, vel non, debet colligi ex fine, ob quem voverat; sed considerato hoc fine includitur. Probat. Finis fuit certa devotio, vel honor exhibendus B. V. die Sabbati honoribus ejus destinato, vel gratiarum actio,

aut impetratio novi beneficii: atqui hi fines includunt hunc diem: ergo &c.

8 Objic. 5. P. Jacobus Wiestner locò citatò habet sequentia: Regula Juris octogesima prima in 6, ita sonat: *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus*: hujus Regulæ sensus est: cum humana dispositione quacunque aliquid termino seu vocabulo generali conceditur, non intelliguntur concessa ea, quæ verosimile non est in specie & expressè fuisse concedenda: ergo cum non sit verosimile, hunc diem etiam includendum fuisse in voto, si incidisset illius memoria, absolutè non fuit inclusus. Neque injustè (pergit citatus Author) hanc dispositionem à longè factam fuisse, ex illo ostenditur, quòd generales ejusmodi concessiones emittantur post pravam aliquam solummodo confusam cognitionem, eorumque ferè solum, quæ communiter, ordinariè & facilè concedi solent, quin accuratè illa examinentur, quæ, si exactè ponderata fuissent, nunquam fuissent concessa: ergo voluntas conce-

H h den.

dentis non præsumitur se ad talia extendisse.

Ad hanc objectionem respondeo primò opponendo illi alias regulas Juris, nimirum: *In toto partem non est dubium contineri*: Ergo cum ille dies Sabbati, in quem incidit Nativitas Christi sit pars comprehensa sub toto & complexo ex omnibus diebus Sabbati, ideo etiam iste sub toto promisso continebitur. Item Regula 57. ita sonat: *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.* Sed Titius potuisset hanc legem apertius dicere, expressè excipiendo hunc diem: ergo contra eum facienda est applicatio.

Resp. 2. Allatam regulam: *in generali concessione &c.* præcipue atque unice intelligendam esse de facultatibus à Superiore quodam humano alteri cuidam concessis, vel in rebus temporalibus, vel Ecclesiasticis, tum in foro interno tum externo, quæ res dispositioni jurium sunt subjectæ, circa istas enim plenam disponendi potestatem humana jura possident: cum autem ipsa vota non pendeant ab ipsis juribus humanis, sed à propria vo-

ventis intentione, hinc vota non sunt explicanda juxta dispositionem circa alias materias à jure factam. Dein regula allata videtur loqui solummodo de concessione generali, in qua illa, quæ videntur non concessa, sint talia, ut à concedente tempore concessionis non fuerint actu cognita: atqui etiam hic dies Sabbati fuit cognitus sub ratione diei Sabbatini: ergo in isto casu non habet locum: quòd autem festivitas Nativitatis cadens in diem Sabbati, non inciderit, nil facit ad rem, cum hæc ad rationem diei Sabbatini sit impertinens, & habeat se merè accidentaliter ac extrinsecè. Denique notandum, in adducta regula Juris fieri mentionem de casu, in quo aliqua jurisdictio valde ampla, & ad plurimos inter se valde diversos ac discrepantes casus fuit concessa: quos omnes prævidere valde difficile foret: in nostro autem casu generalitas voti ad singulos dies Sabbati se extendit, quod facile prævidere potuit.

Urgent: Licet adductum adagiū à Superiore quodam humano fuerit latum, & de rebus Juris dispositioni subjectis fuerit edi-

editum, ob paritatem tamen rationis idem de voto tenendum, ergo nulla est responsio. Prob. antec. ratio fuit, quod generales ejusmodi concessionem fiant post præviam aliquam solummodo confusam cognitionem ac ferè solum eorum, quæ communiter & ordinariè fiunt, sed hæc ratio pugnat etiam pro votis: ergo &c. Resp. neg. antec. in probat. concedo major. neg. min. quod hæc ratio etiam pro hoc voto pugnet; quia tota substantia ad rem promissam spectans jam fuit apprehensa. Nativitas autem Domini est quid accidentale; votum enim etiam non satis maturè editum imò etiam temerè, & levitate animi factum obligat.

9 Objic. 6 Quotiescunque de intentione voventis non constat, tunc votum accipit suam interpretationem ab usu & praxi Ecclesiæ, prout defendit Suarez tom. 2. de Reli l. 4. c. 7. n. 9. sed usus atque praxis Ecclesiæ obtinet, ut in hoc festo comedantur carnes: ergo &c. Resp. dist. major. votum est explicandum juxta praxin Ecclesiæ, si verba illius non sint satis clara,

conc. si hæc satis clarè obligationem indicent. neg. maj. & sic distincto consequente neg. consequ. Qualis ordo in explicatione voti dubii sit observandus, ad initium hujus resolutionis insinuavimus. Dein, quod in hoc casu votum juxta praxin Ecclesiæ neutiquam explicari debeat, ex eo constat, quod in citato capitulo finali Pontifex expressè dicat, in comestione carnum se non dispensare cum iis, qui ex voto, vel observantia regulari ad jejunium sunt obligati: ergo praxis Ecclesiæ non potest in hoc casu prodesse obligatis ex voto ad jejunandum.

Urget hanc nostram responsionem ulterius P. Wiestner l. 3. tit. 46. n. 27. asserens ex cap. finali de voto nihil pro nobis probari, licet enim Pontifex (discurret P. Wiestner) asserat, se non dispensare cum obligatis ex voto, loquitur tamen duntaxat de iis voventibus, qui se expressè ac clarè obstrinxerunt ad jejunium diei Sabbati, licet in hunc Nativitas Christi inciderit: ergo illi poterunt comedere carnes, qui implicitè duntaxat & sub terminis generalibus se obligarunt,

H h 2

Sed

Sed contra est, limitatio ista hujus legis fit merè gratis ac sine omni fundamento, consequenter eadem facilitate hæc explicatio negari poterit, qua fuit affirmata.

¶ Ulteriùs autem occasione hujus objectionis advertimus, in votis posse dubium occurrere circa diem, qui præfixus fuit voto, vel circa ipsam rem promissam, & modum observandum in executione voti ad hoc, ut huic satisfiat, v. g. vovet aliquis jejunare in pervigilio Conceptionis B. V. hìc non est dubium de die, quo exequendum est votum, sed de re promissa, ad quid scilicet talis vovens sit obligatus? utrùm die constituto possit vesci lacticiis, intestinis &c. vel an debeat esse contentus solo pane & aqua? Similia itaque dubia sunt explicanda juxta praxin Ecclesiæ in jejuniorum observatione exerceri solitam, ita, ut censeatur vovens se voluisse obligare ad omne ac solùm illud, quod ex præscripto Ecclesiæ diebus esurialibus impleri debet: quòd si autem quærat de die, quem vovens sibi præfixit, hoc dubium ex consuetudine Ecclesiæ deci-

dendum esse neutiquam judicamus, aliàs si dubium esset, an jejunium fuerit promissum pro pervigilio Conceptionis aut Assumptæ Virginis, decidendum esset pro Assumpta, eò quòd praxis Ecclesiæ hoc pervigilium jejunando transigat.

Urgent 2. Suum argumentum adversarii. Obstrictus voto jejunandi pridie alicujus Sancti, si hujus dies pridianus est Dominicus, non isto sed præcedente die Sabbati jejunare potest, & hoc ex more Ecclesiæ, & textu *cap. 1. de observat. jejuniorum.* ergo etiam dubia circa diem sunt decidenda ex mente Ecclesiæ. Resp. ut hoc dubium solvatur, attendendam esse ad illam rationem, seu prædicatum, sub quo eligitur aliquis dies: cùm enim eidem diei diversa prædicata convenient, non minùs, ac aliis quoque rebus; ita etiam potest aliqua dies, vel sub prædicato Sabbati, vel sub alio v. g. pervigili considerari, atque jejunandum eligi: quòd si igitur aliquis pro suo jejunio elegerit pervigilium certi festi, atque hoc incidat in diem Dominicum dubitatur, an dies immediate præ-

præcedens mereatur vocari pervigilium, vel dies perendinus, scilicet Sabbati; atqui hoc dubium decidi poterit ex praxi Ecclesiæ, ac dici, præcedentem diem Sabbati jejuniò destinari posse, eò quòd Ecclesia constanter consueverit præcedentem diem Sabbati in talibus circumstantiis agnoscere, ut pervigilium, quotiescunque immediatè præcedens dies est Dominica, quæ omnia ex eo proveniunt, quòd ratio hæc *pervigilium* sit mutabilis, communicabilis pluribus diebus, non autem unico determinato tantùm, & hinc pervigilium ex praxi & consuetudine Ecclesiæ transferibile atque mutabile est, ex opposito dies Sabbati est affixus determinato alicui diei in hebdomade, consequenter in voto jejunandi die Sabbati, non datur illa indifferentia prædicationi, sub quo ille est determinatus, consequenter neque ex praxi Ecclesiæ est mutabilis.

13 Urgent 3. Promittens se singulis annis 20. Julii jejunaturum esse, quia singulare beneficium tali die à Deo fuit consecutus, si dein 20. dies Julii sit Dominica, poterit talis die præcedente, vel

sequente jejunare, quia praxis Ecclesiæ diem Dominicum eximit à jejunio, & tamen ratio & prædicatum diei 20. Julii non est transferibilis in alium diem: ergo nostra data responsio non est sufficiens. Resp. in tali casu voventem fore obligatum, ut die Dominica jejuset, quia re ipsa ad jejunium 20. die Julii cujuscunque anni se obligavit, insuper prædictæ diei Dominicæ competit omne id, quod diei jejunio deputatæ est intrinsecum, si ista sit 20. dies Julii. Neque dicas, hoc esse contra morem Ecclesiæ, non etiam jejunare die Nativitatis Christi est contra morem Ecclesiæ, & tamen ad hoc aliquis se obligare poterit, uti constat ex capit. finali citato, ubi addit Pontifex: *Nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerunt abstinere.*

Objic. 7. Quando notabiliter mutata fuerunt circumstantiæ, tunc cessat voti obligatio, arg. cap. *brevi de jurejurando.* & cap. *petitio.* cap. *veniens de jurejur.* cap. *cum inter. de renuntiat.* Sed quando dies Nativitatis cedit in diem jejunio destinatum,

Hh 3

sunt

sunt notabiliter mutata circumstantia ergo &c. Prob. maj. obligatio voti dependet ex intentione voventis hic autem non censetur voluisse se obligare etiam postquam notabiliter fuerint mutata circumstantia: ergo &c. Resp. dist. maj. notabiliter mutatis circumstantiis, quæ spectant ad essentiam rei promissæ cessat obligatio conc. major. quibuscunque aliis circumstantiis accidentalibus notabiliter mutatis, licet maneat inviolata

substantia promissa, cessat obligatio. neg. maj. & dist. minor. Sed in dato casu mutata sunt circumstantia essentialia rei promissæ nego. accidentaliter duntaxat salva manente substantia rei promissæ. conc. min. & nego conseq. Tunc fuerunt mutata notabiliter circumstantia secundum intentionem jurantis, quando illud, quod vovendo in mente habuit, non amplius se taliter habet à parte rei, quod tamen hic non contingit.



Casus XXV.

De jejunio recipienda sacra Synaxi præmittendo.

Emerentiana in Festo Purificatae Virginis volens suscipere sacram Synaxim meminuit se præcedente nocte haustum aquæ accepisse: eum autem nesciret, num ante, vel post auditam horam duodecimam no-

cturnam id contigerit, hinc ex Confessurio

Quærit, utrum sibi in hoc casu licita sit sacra communio.

Synopsis.

§. I.

Affe-